li monuerunt eum, Phariſæos ſcandalizari ob eam licentiam, qua errores eorum corripiebat, nonne reſpondit illis: ſinite eos, cæci ſunt, & duces cæcorum? *Apologia Abbatis Trappenſis.*

Veri Doctores non iment homines, ſed conſtanter docent veritates quæ in Religione maxime latent.

Sanctus hic Doctor oſtendit etiam, cum Pſeudo-Prophetæ ignavi ſint, & metuant homines quia ab illis expectant, quod amant: veros Dei miniſtros e contra plenos eſſe viribus, & conſtantia; & cum agitur de gloria Dei, nequaquam metuere mortales, quia nihil ab illis ſe conſecuturos ſperant. Primi illi cum ſint ſuarum cupiditatum mancipia, ſemper præſto ſunt ad afferendam iniquitatem, atque mendacium; poſteriores vero nihil quærentes, niſi placere Deo, nonniſi propter veritatem agunt, atque juſtitiam, & cum illi humano tantum ſpiritu agantur, hi aguntur ſpiritu Dei, cujus organa ſunt, atque miniſtri. Poſtquam Sanctus hic Doctor conatus fuerat populo ſuo errorem auferre quoad Pſeudo Prophetas, qui eidem maximo erant incommodo, illis alterum aufert non minus terribile laqueum, videlicet fictæ pietatis, quia nihil terribilius eſt, quam decipi eo in cultu, qui adhibetur Deo. Ex ſe igitur quærit in nomine populi, Quid offeram Deo, quod ſit dignum ipſo? Num genua flectam coram illo? Num offerram illi holocauſta? & ſtatim hoc addit reſponſum, quod appellari poteſt totius pietatis compendium, quod ipſe Dei Spiritus per Prophetam deſcripſit: O homo, dicam, quid tibi proſit, & quid a te expetat Deus; ut videlicet agas ſecundum juſtitiam, & diligas miſericordiam, & ambules coram Domino cum vigilantia plena metu, ac reverentia. *Ex vitis Prophetarum, Tomo 2.*

Vera diſcedi ratio eſt jugis oratio.

Errat, qui putat unicam diſcendi rationem eſſe libros evolvere. Plerumque magis proficis ad pedes crucis Dominicæ, quam legendo codices. J. Chriſtus orationis tempore animas noſtras alloquitur, illas erudit, illis ſua ſecreta communicat. Quid non proficimus audientes magiſtrum adeo plenum ſcientia, atque ſapientia? Prudentes ſæculi, qui humanis omnia ſubſidiis accepta referunt, intelligere nequeunt aliquem per orationem doctum evadere poſſe. Sed falluntur. Hæc via eſt, quam Sancti ſecuti ſunt, ut ſe doctos præberent. Fatentur omnes, ſe ſcientiam ſuam debere orationi, ſe omnia, quæ ſciunt, didiciſſe, ſeſe præbendo J. Chriſti diſcipulos in oratione, & receſſu. Denique ſcientia, quæ præſertim in Doctore requiritur, eſt ſcientia Sanctorum; hæc ſcientia illum J. Chriſti diſcipulum conſtituit. Hæc ſcientia docet illum uti omnibus iis cognitionibus ad ſalutem ſuam, & fratrum ſuorum utilitatem. Quis ibit inficias in oratione Dei Filium divinam hanc ſcientiam animabus communicare? S. Auguſtinus de magna hac veritate in Epiſtola quadam nos erudit. Tradit duas artes eximias feliciter difficillimas quaslibet quæſtiones enodandi, orationem, & animadverſionem. Mox verba facit de utilitate, quam percipere poſſumus ex ſtudio, doctos Viros audiendo. Sed præfert præferendas eſſe duas illas rationes, quas re adhuc integra propoſuit: neque ambigit, utrum orationi major vis inſit, quam ſtudio. Scientia cæleſte donum eſt; ad Deum igitur confugiendum eſt, ut illud aſſequamur. Ne ſperetis citra Domini auxilium vos quidquam profecturos. Hinc fit, ut præditus virtute Doctor, qui prudenter agere vult, antequam ſtudiis vacet, primum ad Deum confugere, opemque illius per orationem expoſcere debeat. *Sermones de vita Eccleſiaſtica Domini Lambert, Tom. 2.*

Sanctus hic Doctor ſumma fide exercuit J. C. doctrinā quā tradebat aliis.

Sanctus hic Doctor nequaquam Dei Legem didicerat, ut eam alios dumtaxat doceret, ſed ut ipſe illam exerceret; quapropter ad normam illius ſua conſilia direxit; & ſuas cognitiones compoſuit, ut illis uteretur ſecundum regulas ſapientiæ, a qua illas acceperat. Et eo aptior factus eſt, ut alios doceret, quia illas primum exercuit, quam aliis traderet, & tanto dignior erat, qui meditaretur, & penetraret ſecreta Dei, quo melius noverat ſumere ſibi pro regula vitæ ſuæ veritatem, quæ eidem erat aperta. Deus fœdus pepigit cum hominibus: hi promiſerunt ſe illi obtemperaturos; ille vero horum obedientiam remuneraturum. Sapiens hic Doctor gloriam ſuam in eo conſtituit, ut Dei Legem cognoſceret, ut illam adimpleret, ut alios doceret, & ut hominibus diceret ea ſolum quæ a Domino acceperat: quia hominibus illius fœdus, ac verbum nuntiabat, ac unum illum inſpiciebat; quia unicam Domini ſui gloriam, non autem propriam inquirebat. *Annus Chriſtianus, Tomo 7.*

PRO COMMUNI CONFESSORUM

Quibus Eccleſia hoc tribuit Nomen, & qui paſſi ſunt perſecutionem pro fide, juſtitia, &c.

M O N I T U M.

Licet hodierna die tribuat Eccleſia indiſcriminatim Confeſſoris nomen Sanctis omnibus, qui neque Apoſtoli, neque Martyres ſunt, ſed qui, in quocumque ſtatu divina Providentia illos collocaverit, ſanctificati ſunt, ſcimus tamen Chriſtianæ Religionis initio, & dum primæ ſævierunt perſecutiones, neminem ex Sanctorum numero titulo hoc glorioſo decoratum fuiſſe, qui propter Religionem paſſus non fuerit, & hac in re præ ceteris animi fortitudine non enituerit. Scire etiam debemus illuſtrem hunc titulum tali in pretio, & honore in primitiva Eccleſia fuiſſe, ut qui inſigniti fuiſſent reſiſtendo promiſſis, ac minis Perſecutorum, vel qui non ceſſiſſent contumeliis, quibus afficiebantur, haberentur toto vitæ ſuæ ſpatio tanquam Fidei propugnatores, & Eccleſiæ decus, atque præſidium; ſed etiam poſt mortem illis redderetur cultus peculiaris, atque in Martyrum albo recenſerentur illi, qui enecti fuerunt miſeriis, quas paſſi ſunt in exſilio, in carceribus, atque cruciatibus, licet multo poſt tempore ad plures abiiſſent; atque membrorum ſuorum mutilatio habita eſt tanquam nota heroicæ fidelitatis, & ſatis dignum Panegyrici argumentum.

Putandum tamen non eſt, primos dumtaxat fideles meritos fuiſſe in peculiari ſenſu, in quo iſtic accipimus, illuſtrem hunc Confeſſoris titulum. Hoc elogium eſt, quod Eccleſia non abnuit iis etiam qui hodierna die patiuntur ob defenſionem, vel profeſſionem fidei ſuæ in regionibus ſatis cognitis. Non enim deſunt, qui exſules ſunt, atque extorres propter hanc cauſſam, & qui in exſilio ſuo vix aliquod inveniunt perfugium; & qui omnibus modis exagitantur.

PRO COMMUNI CONFESSORUM,

Qui hoc nomine proprie ab Eccleſia vocantur, & qui paſſi ſunt perſecutionem pro fide, juſtitia, &c.

Impii bonos ſemper perſecuti ſunt.

NUllum fuit tempus, Auditores, quo in mundo innocentia exagitata non fuerit, & dicere fas eſt primam, ac funeſtiſſimam omnium perſecutionum eam fuiſſe, quam Satanas invidens hominis felicitati excitavit in illum cum adhuc in innocentiæ ſtatu verſaretur. Deinde invidia, quam crudelis Cain fovit adverſus Abel inſontem, impulit eum, ut huic vitam eriperet, ad quem odii, atque invidiæ gradum non evaſit, niſi quia frater ſuus juſtior erat ipſo, ut quidam Apoſtolus inquit. Neceſſe non eſt plura in lege veteri exempla quærere, neque diuturnam repetere perſecutionem, quam Jacob paſſus eſt ab Eſau fratre ſuo; neque illam, quam fratres Joſeph huic conflavere, qui propter innocentiam, & egregias animi dotes erat patri ſuo dilectiſſimus; neque illam denique, qua Saul afflixit David hominem ſecundum cor Dei. Solum teſtimonium protomartyris Sancti Stephani ſatis probat hoc in acri illa reprehenſione, qua Judæos exprobravit, videlicet Prophetas, licet ſanctiſſimos, juſtiſſimoſque evadere non potuiſſe furorem, & crudeles perſecutiones, quas in illos excitaverant. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri? (Act. 7.) Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In lege veteri novaque improbi ſemper perſecuti ſunt bonos.

Si in lege naturæ, & lege ſcripta virtus, ſanctitas, & innocentia ita patuerunt acerrimis perſecutionibus, quid cogitandum eſt de lege gratiæ, ac de Religione, quam Jeſus Chriſtus inſtituit? Religione, inquam, quæ præclare reparavit innocentiam, cujus primi Patres jacturam fecerant; quæ reſtituit juſtitiam, ac morum integritatem, quam Idolorum cultus proſcripſerat, & quæ ſola hominibus contulit ſemet ſanctificandi ſubſidia! Noſtis, quanam rabie Tyranni illam fuerint perſecuti; noſtis e contra, fideles, qui illius partes amplecti voluerunt, ejuſque gloriam ſuſtinere, omnes exhauſiſſe pœnas, atque tormenta, quæ hominum ſævitia potuit excogitare. Eccleſiaſtica hiſtoria mille nobis exempla ſuppeditat, quæ in Menologio referuntur; quapropter mihi de hac re prolixius diſſerendum eſſe non puto; ſed ſuppono, ut cum Apoſtolo dicam: *Omnes, qui volunt pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. (2. ad Tit. 3.) Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Perſecutiones quas ſuſtinemus propter Deū reſpiciendæ ſunt tanquā certa pignora amoris ejuſdē.

Ne vos hæc irritet veritas, & cavete, ne hic ſcandali occaſionem arripiatis; quippe felicitas, & incomparabilia bona, quæ perſecutiones procurant illis qui propter Dei gloriam patiuntur, efficere debent, ut inter maxima beneficia, & certiſſima amoris Dei pignora habeantur: ita ut Dei Filius, qui eadem veritas eſt, jam in anteceſſum beatos vocet eos, qui patiuntur: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Hoc ipſum bonum impiorum perſecutiones pariunt bonis: illos plerumque tuentur in gratia, & in Dei ſervitio confirmant; ſed quia alios quoque illæ perturbant, dicere poſſumus, in hoc veros Dei filios a filiis ſæculi diſtingui, ut loquitur Scriptura; hi ſub perſecutionibus cedunt, & reſiſtere nequeunt irriſionibus, atque detractionibus, quibus ipſorum nomini officitur; robur illi deeſt ſuſtinendi odium impiorum, bellum, quod ſibi ab improbis infertur; verbo, perſecutiones, quibus agitantur. Pudet illos, ſe palam pro juſtitia, ac virtute profiteri, timent ne ſe irriſos, deſpectoſque videant, & ne habeantur tanquam homines rudes, imbecilli, & qui ipſam quoque vivendi rationem, & mundi officia prorſus ignorent. *Idem.*

Perſecutorum potentia in eo ſita eſt, ut occidant corpus, ſed ad hoc infinita pariūt animæ bona.

Vultiſne cognoſcere totam crudeliſſimorum perſecutorum potentiam? Dei Filius dixit vobis, poſſe illos quidem corpus occidere; ſed addendum eſt, poſſe illos vobis infinita comparare bona, & nihil præferendum eſſe iis fructibus, quos ex injuſtis perſecutionibus ſuis valent recipere. Ut hac de re vobis perſuaſum ſit, attendatis ſufficit ad Salvatoris verba: *Beati, qui perſecutionem patiuntur &c.* Quis magis prodeſſe poteſt vobis illis, qui vobis totum ſuppeditant medium, quo recenſeamini in numero Beatorum, quibus in cælo magna merces reſervata ſit? Quomodo loquitur Tertullianus, ubi verba facit de perſecutionibus quæ in Chriſtianos urgebantur. Victores ſumus, dum morimur; eo ipſo momento, quo perimus, egredimur e manibus veſtris, & libertatem noſtram recuperamus. Cruces de quibus ſuſpendimur, rogi, qui circum nos incenduntur, ut corpora noſtra comburantur, ſunt victoriæ noſtræ trophæa, ſunt victoriæ noſtræ ornamenta, & currus triumphalis. Verum eſt, cum alii vos proſequuntur, & exagitant, fieri poſſe (quod etiam frequens uſuvenit) fieri, inquam, poſſe, ut non ſolum temporalia bona amittatis, verum etiam anima veſtra vulneribus ſaucietur. Hujuſmodi ſors eſt eorum, qui obmurmurant, queruntur, ac ſpem abjiciunt in tribulationibus. Sed hæc vulnera non intulit vobis, qui vos perſequitur; vos præcipui auctores eſtis veſtræ calamitatis. Si intuiti fuiſſetis J. Chriſti conſilia, ſi voſmet illis ſubjeciſſetis, ſi noviſſetis fructum ex tribulationibus veſtris percipere, fruſtra perſecutor ſeſe furore ſuo præcingeret; quidquid facere poſſet, in eo ſitum eſſet, ut eriperet vobis temporalia bona, ſed longius procedere non poſſet. Donec jacturam hanc pateremini, quæ levis eſt, colligeretis in anima veſtra gratiæ theſauros longe pretioſiores bonis omnibus, quæ vobis fuiſſent erepta. Hoc veris Chriſtifidelibus perſuadet, homines nequiores metuendos non eſſe, & illum ſolum metuendum eſſe, *qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. (Luc. 12. 5.) Lambert in anno Evangelico. Tom. 7.*

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Attendite ad verba Salvatoris. Omnis, qui perſecutionem patitur, non ideo ſe beatum exiſtimare debet. Jeſus enim Chriſtus eos tantum Beatos futuros pollicitus eſt, qui perſecutionem paſſi fuerint propter juſtitiam. Sancti Patres docuerunt, eos, qui extra unitatem Eccleſiæ paſſi ſunt, abuſos eſſe verbis Filii Dei cum iſdem uti volebant, ut oſtenderent ſe beatos eſſe, quia patiebantur. *Nemo autem veſtrum patiatur.* S. Petrus ait, *ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine. (1. Petr. 4. 15.)* En igitur gloria, & beatitudo hominis; hæc eſt pati, ut Chriſtifidelem, & pati propter juſtitiam. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Quod diſcrimen inter Hominum judicium, & Dei! Contemnebantur Apoſtoli; Tyrannus a quo damnabantur, ſedebat pro tribunali; Miniſtri J. Chriſti conculcabantur. Hi in oculis Dei ſuperiores erant inimicis ſuis, & gloria erant circumdati. Præclarum paſſionum privilegium! Perſecutio, quam perferebant, certum erat pignus remunerationis eorum, & jam exiſtimare poterant, ſe adiiſſe Regni Cæleſtis poſſeſſionem. Jeſus Chriſtus dicit: *quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Hoc eſt beatitudinis eorum fundamentum. *Idem.*

Dei filius inſpirare voluit omnibus diſcipulis deſiderium patiēdi in nomine ſuo & propter gloriam ſuā omne genus injuſtitiæ, & perſecutionis ab hominibus.

Cum maxime intereſſet altius doctrinam hanc imprimere in animis fidelium, Dei filius id fuſius perſequitur. *Beati eſtis*, ait, *cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint; & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Beatitudo eſt, affici contumeliis. J. C. repetit adhuc; beatitudo eſt perſecutionem pati. Beatitudo eſt, impiorum calumniis proſcindi. Dei filius curam habet addendi conditionem eſſentialem, nobiſque oſtendendi hæc omnia mala tunc ſolum noſtram conſtituere beatitudinem, cum propter ipſum patimur. *Gaudete*, ſed nondum ſatis; commune gaudium non ſufficit in tanta felicitate. *Gaudete, & exultate.* Gaudium par eſſe debet remunerationi; & ſicuti maxima omnium remunerationum parata eſt remuneratio patientibus propter Jeſum Chriſtum, oportet, ut gaudium ſit omnium gaudiorum maximum. Opus eſt, ut qui illos vident, intelligant eos ſumma affectos eſſe lætitia. *Gaudete, & exultate. Idem.*

Impreſſio, quā in ſpiritu Sancti hujus fecerunt Salvatoris præcepta.

Dogmata Salvatoris mundi in Sancti hujus ſpiritu omnem illam pepererunt impreſſionem, quam parere debebant verba Præceptoris adeo boni, & potentis, qualis eſt Jeſus Chriſtus. Dixerat illi; *Gaude*, ubi te perſecuti fuerint. Sanctus hic perfecte docilis fideliter paruit verbo magiſtri. Re ipſa gaviſus eſt tempore perſecutionis: Videre illum egredientem e cœtu, ubi damnatus fuerat. Inde pedem effert exultans gaudio, quia dignus habitus eſt, qui omnia pro Jeſu Chriſti nomine perferret opprobria. Quodnam eſt gaudii ejus fundamentum? Domini ſui verbum ſpiritui ipſius ſemper præſens: *Gaudete, & exultate. Idem.*

Nobis patienter ſuſtinendum eſt & orandum pro iis qui nos perſequuntur.

Cum homines afficiunt nos contumelia, cum noſtris opibus potiuntur, cum noſtro nomini labem offundunt, cum nigræ loliginis ſucco nos aſpergere conantur: quidquid audeant in nos, ac ea omnia peragant, quæ propheta innuere voluit per hæc verba: *Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat: (Pſ. 7.)* Nobis perſuaſum eſſe debet, tunc nos cognoſcere debere, & efficere, ut & alii cognoſcant, nos eſſe id, quod eſſe debemus; non aliis utentes armis, ut inimicorum impotentiæ adverſemur quam precibus, & patientia, & imitantes perfectos illos Diſcipulos, de quibus ſcriptum eſt: *Ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. (Act. 5.)* Niſi Chriſtianus peculiarem habeat curam ſeſe in hoc ſtatu adeo ſancto confirmandi, ejus tranquillitas inceſſanter perturbationibus erit obnoxia. Nam ex quo pendebit ab hominum libidine, aut nequitia, vel a dæmonum invidia, Satanas nunquam deerit quominus recentes ingerat tentationes, multiplicet perſecutiones ſuas, & perſecutores; & Chriſtianus parebit iracundiæ ſuæ, & ultiones machinabitur: ejuſque anima afflicta ſub pondere inimicorum, ac pœnarum ſuarum cedet. Fidelis denique, qui alienis commovetur injuriis, & expers eſt paſſionum Jeſu Chriſti, coronarum illius in partem minime accedet. *Ex libro, cui Titulus: Regula S. Benedicti. Tom. 1.*

Quo amore proſequi debeamus pauperes alienigenas qui maluerunt patriū ſolum, bona & amicos deſerere, quam Religionem?

Hoc autem, ut mihi videtur, efficere debet in cordibus veſtris non levem impreſſionem. Non deſunt pauperes alienigenæ, extorres a patria, inde ejecti in exſilium in odium Religionis, & Fidei; pauperes exagitati, qui propter Deum patiuntur; quibus natale ſolum interdictum eſt, quia ſunt Sacerdotes, vel initiati ſacris; quia ſunt Catholici, & Eccleſiæ gloriam ſuſtinent. Primis Chriſtianæ Religionis ſæculis adſcripti fuiſſent in albo Martyrum, & Confeſſorum J. Chriſti. Nam perſecutionum tempore Martyrii ſpecies erat in exſilium ejici propter fidem, & in carcerem trudi propter eamdem. (*Hebr. c. 11.*) Hic eſt ſtatus horum miſerorum: fides, quam profitentur, excivit in illos tot inimicos, quot error fecit hæreticos in populis, qui ſunt indociles, & rebelles lumini. Pro fide hac ſæviſſima quæque paſſi ſunt. *Anguſtiati, afflicti.* Proſcripti fuerunt, & in carceres conjecti: *Inſuper & vincula, & carceres.* In deſertis locis & in cavernis latitantes, nonniſi poſt ſexcenta pericula ad nos uſque pervenerunt, quæſituri in Chriſtiano regno perfugium: *In ſolitudinibus errantes, in montibus, & cavernis terræ. Exhortationes Chriſtianæ P. Bourdaloue Tomo 1.*

Finis, quem ſibi proponunt, qui inſtituunt Seminaria.

Qui inſtituunt Seminaria in illis regionibus, quæ hæreticis parent, non alium ſibi finem proponunt, quam alere homines, qui aliquando afflictæ huic Eccleſiæ prodeſſe valeant, ejuſque excidium reparare: qui contra Legum injuſtitiam, atque Edictorum ſeveritatem ſubrogari valeant in locum Paſtorum, quorum jacturam fecerit, & quibus prope fuit, ut viduaretur; qui ob id audeant periculo objicere libertatem, vitamque ſuam; & quos nullum periculum, vel metus valeat deterrere. Homines, qui conſolentur, confirment, foveantque gregem non adhuc prorſus diſſipatum, ſed quam primum diſſipandum: Qui confirment infirmos in fide: qui revocent eos, quos procella abſtraxerat; qui recentes animos addant iis, quos perſecutio de loco movere non potuit. Talis fuit Sancti hujus viri agendi ratio, qui poſtquam ſe exercuit in his piis locis, perpeſſus eſt omnia perſecutionum genera, quæ, quin illius fidem, & caritatem labefactarent, profuerunt, ut eaſdem augerent, illumque perfectum efficerent veri Chriſtiani prototypum. *Idem.*

Fructus quos Sanctus N. ex omnibus perſecutionibus ſuis percepit.

Pauci ſunt Sancti, qui, ut ita dicam non debeant perſecutionibus, adverſitatibus, paſſionibus aliquem ſaltem gradum gloriæ ſuæ in Cælo. Quid non debent Martyres cruciatibus ſuis? Proximi veſtri, & amici vos perſequentur, inquit Salvator: non ideo tamen eritis calamitoſiores. Univerſa crudeliſſimorum Tyrannorum nequitia, ne unum quidem de capite veſtro capillum convellere poteſt. Cum Deo cari ſimus, & accepti, quid nobis eſt metuendum? Quantus error eſt reſpicere odium mundi tanquam malum, cum nos mundus odit, quia diligimus Deum, quia Deo obſequimur, quia odio mundum habemus? Quos favores, quot bona mundus pollicetur S. N. ut illum pervertat? Et reſpuenti omnes promiſſionum illecebras, quot perſecutiones minitatur? Qua conſtantia Sanctus hic utraſque contemnit, & blanditias, & minas? Immo in blanditiis ejus gravius nanciſcitur tormentum? Mavult ſe objicere vitæ periculo, quam Dei ſui gratiam amittere. Quandonam ita ſentiemus? Quando ſecundum hæc principia ratiocinabimur? Peccatumne hodierna die malorum omnium maximum ducitur? Habeturne tanquam malum ab iis, qui peccare gaudent, & in peccatis gloriantur? Malum vocatur, jactura bonorum, ærumna, perſecutio, infortunium, quæ benedictionum ſunt ſortes ſecundum divinæ Providentiæ conſilia. At habetur ne loco mali inſignis peccatum, ubi reſpiciatur tanquam facilis ad locupletandum via? Proh Deus in quanta cæcitate hactenus vixi! Dimitte mihi iniquitates meas, & digneris exaudire orationem meam! Fac, Domine, potius ut patiar omnia tormenta. Fac, ut omnia vitæ hujus mala perferam, potiuſquam unum ſcelus committam. *P. Croiſet in Aſceticis. Tom. 5.*

Mundi perſecutiones efficiunt ut boni non-

Plerique eorum, qui patiuntur propter juſtitiam, labefactari ſe ſinunt perſecutionibus, & ſæpe deſerunt cauſſam Jeſu Chriſti, ut ſequantur mundi placita, quæ ipſis faciliora, atque

Nunquam pietati & Chriſtiani hominis officiis abrenunties.

atque utiliora videntur. Hæc maxima eſt perſecutio, quam mundus inferat innocentiæ, ex S. Auguſtini ſententia. Perſecutio aliquo in ſenſu crudelior, atque magis funeſta quam ea, quam Tyranni intulerunt fidei, & Religioni: efficit enim, ut abdicemus pietatem, omniaque Chriſtianæ Religionis officia, quorum Chriſtiani in Baptiſmo, publicam profeſſionem fecerunt. Aliunde vero eædem perſecutiones ſecernunt, & cognoſcendos præbent eos, qui electi ſunt, atque prædeſtinati. Hæ illos probant, eoſque oſtendunt generoſiores, fideliores, & glorioſiores. Hæc veritas eſt, quam omnium ſæculorum veritas comprobavit: virtutem, innocentiam, morumque ſanctitatem nunquam enituiſſe magis, quam in perſecutionibus. David nunquam major, ſanctiorque fuit, quam cum Saul illum odio internecino proſequebatur; Judæorum populus nunquam magis divino cultui adhæſit, quam cum permiſit Deus ut opprimeretur, in ſervitutem abduceretur, & undique afflictaretur: Chriſtiani vero nunquam Sanctiores fuerunt, quam cum cruentiſſimis agitarentur perſecutionibus; cum in ſingula momenta verſabantur in vitæ diſcrimine veriti ne ad Tribunalia raperentur; tunc illi martyrium reſpiciebant tanquam ſuæ beatitudinis cumulum, ac mercedem vitæ ſanctæ, integreque tranſactæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Crux Salvatoris ſatis eſſe debet, ut nobis inſpiret amorem patiendi pro ipſius gloria.

Quamvis natura ipſa conſtitutum ſit, ut paſſiones horreamus; tamen ad earum amorem in nobis ciendum ſatis eſſet, ſcire Deum in eis altiſſimum gloriæ ſuæ apicem conſtituiſſe; per illas triumphaſſe, & in illis præcipuum gaudii, votorumque ſuorum objectum conſtituiſſe. Nam ſicuti crux, licet Judæorum ævo turpiſſima haberetur, ex quo in ea animam efflare voluit hominum Salvator propter ſalutem noſtram, promeruit cultum Angelorum, & hominum, ita ut, S. Auguſtinus, ait, maximi terrarum Domini deinceps honori ſibi tribuerint illam in fronte geſtare: ita quantumvis turpes in ſe ipſis eſſe poſſent cruciatus, quia peccati pœna ſunt, ac effectus; ex quo tamen Dei filius illos ſibi in partem delegit, illos in perſona ſua conſecravit, eiſque omnem abſtulit turpitudinem, & ignominiam, quæ illis adhæſerant. *Idem.*

S. Paulus ait Deum velle, ut pro illo patiamur aliquid.

Procul dubio inter magna ſecreta, quæ S. Paulus ad tertium raptus cælum hauſit, hujus quoque cognitionem aſſecutus eſt; alioquin favorem hunc ille nequidquam adnumeraſſet inter præcipuos, quos Deus homini in vita hac poſſit conferre, & tanta cum certitudine minime dixiſſet: *Vobis datum eſt, non ſolum ut in ipſum credatis, ſed etiam, ut pro ipſo patiamini*, quaſi diceret: Magnum quidem donum eſt, vos accepiſſe fidem, immo fundamentum eſt omnium donorum, omniumque bonorum gratiæ; at illius vultiſne conſummationem? Scirene cupitis, quod donum reliquis præſtet, & quod ſuavius ſit pignus amoris Hominis Dei? *Vobis datum eſt, ut pro ipſo patiamini.* (*ad Philipp.* 13.) Præter fidem, quæ vobis cum aliis communis eſt, voluit vos propter ipſum pati: quoniam hic pretioſiſſimus eſt ſermo amoris ſui. At cuinam hanc præſtitit gratiam? *Vobis.* Vobis Apoſtoli quos conſtituit ſequeſtres ſecretorum ſuorum. Vobis, quos amicos ſuos nominavit, vobis quos conſtituit tanquam fundamenta Eccleſiæ ſuæ; & quos delegit, ut eſſent Heroes Evangelii ſui; *Vobis datum eſt, non ſolum, ut in ipſum credatis, ſed etiam, ut pro ipſo patiamini.* Hæc eſt maxima gratia, & favor eximius, quem conferre poſſit homini in vita hac; eo uſque ut S. Chryſoſtomus putet ipſum S. Paulum Apoſtolum beatiorem eſſe, & glorioſiorem in vinculis, & catenis, quam cum ſublatus eſt uſque in tertium cælum; & Sanctus hic doctor profitetur, ſi ſibi optio facta fuiſſet, ſe maluiſſe cum magno hoc Apoſtolo in carceribus eſſe, quam ſedere in ſublimiſſimo Empyrei ſolio; nam perſecutiones ſunt fulgidius teſtimonium amoris Dei. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Deſiderium effundendi ſanguinem ſuum, quo S. Noſter flagrabat.

Scio nonnullos dixiſſe nimis ardentem zelum effeciſſe, ut S. N. terminos exactæ modeſtiæ tranſgrederetur; ſed exceſſus nomine appellari ne poteſt ſancta libertas, qua uſus eſt, quin ſimul infinitus Martyrum numerus condemnetur, quorum verba exprobationum refertiſſima, quæ ingerebant illi in Reges nomini Chriſtiano inimicos, ſumma cura Eccleſiaſtica Hiſtoria collegit; & quin in hujus criminis partem vocentur fideles omnes, qui poſtmodum verba hæc reſpexerunt tanquam argumentum fortitudinis eorum, atque conſtantiæ. S. N. ſua firmitate confudit illos, qui ipſum perſequi oblectabantur; ſed hæc victoria illi peperit lacrimas, atque ejulatus cogitanti, ſe eo pacto jacturam feciſſe præclaræ occaſionis, quæ ſibi fuerat oblata moriendi pro filio Dei: Domine, ajebat ille, iis verbis, quæ mirum in modum erant pathetica: Cur per ſanguinis mei effuſionem non ſignavi meam tuæ divinitatis confeſſionem? Beati, quibus ſub primis Sancti Nominis tui perſecutoribus hoc contigit! Heu! quam illis invideo! *Utinam hoc confeſſionis meæ in te, atque Unigenitum tuum, miniſterium Neronianis, Decianiſque temporibus explevſſem!* Verum bono, fortique animo ſis, Sancte vir. Si Providentia tibi occaſionem abſtulit moriendi pro Domino tuo; fortitudo tua tibi martyrii meritum comparavit. *Sermo Manuſcriptus.*

Quanta ſit virtus eorum, qui perſecutionem patiuntur propter amorē Dei.

Quam præclara ſunt virtutis teſtimonia, cum fideles una cum fontibus ſuppliciis objiciuntur. Chriſtiani, qui illorum certaminibus adſtant, licet nunquam ante illos viderint, non ægre illos dignoſcunt; pleni ſunt hilaritate inter ipſos cruciatus, fidenter cælum intuentur, tormenta ipſa, pœnaſque contemnunt, & adventante morte principia ſuæ immortalitatis præſeferunt. Sed paulliſper inſpiciamus, quomodo primi fideles adſtabant fratribus ſuis, qui pro fidei confeſſione in vinculis, compedibuſque detinebantur. Nullus erat carceris cuſtos, quem non delinirent, nullus murus æneus, quem non perfoderent, nullus tenebroſus locus, quo aditum ſibi non aperirent. Illuc alii poſt alios ingrediebantur, generoſorum Confeſſorum vulnera deoſculabantur, remedia, & refectiones feſſis artibus, fractiſque corporibus afferebant, eorumque veneratio ad illorum etiam manicas, pedicaſque migrabat. *Auctor Recens.*

Chriſtianus, qui perſecutionē patitur propter juſtitiam in perſecutionibus ſuis nanciſcitur fideles, qui eum conſolantur.

Nonnunquam Tyranni Sanctos hujuſmodi Confeſſores in exſilium ejicere contendunt: ſed nullum eſt exſilium Chriſtiano. Hic ubique locorum fratres invenit, & concives: hi illos agnoſcunt tanquam homines, qui pertinent ad ſe, & coeunt illos conſolaturi, ubi per Eccleſiæ teſtimonium audiunt, Cultum Dei, quem colunt, & confeſſionem fidei, quam profitentur, cauſſam eſſe damnationis eorum. Si eamdem ob cauſſam fidelis ad metalla damnatur, recipit in labore ſuo eadem teſtimonia a Caritate fratrum ſuorum: accurrunt ex finitimis locis illi ſolatium, opemque allaturi, eum in bonorum ſuorum partem vocaturi, ejuſque pœnas imminuturi, in laboris partem accedentes. *Idem.*

Perſecutiones in Sanctum hunc commotæ ad illius gloriam contulerunt.

Pii hujus ſervi Dei ſanctitati aliquid deeſſet, ſi illi defuiſſent perſecutores; & ſicut in J. C. corpore, licet glorioſo, & pulcherrimo in omnibus, ſinguliſque partibus, nihil magis elucet, quam vulnera illius: dicere poſſumus, perſecutiones efficere pulcherrimam, ac nitidiſſimam partem vitæ ſervorum, atque Sanctorum illius. Verum ſi divinum hoc caput vult, artus ſuos participes fieri paſſionum ſuarum, vult quoque in partem accedere inſignium honoris, quæ illas concomitata ſunt. Adorabilis iſta ſapientia, quæ in omnibus humiliationibus ſuis novit gloriam cum dedecore, & poteſtatem cum infirmitate conjungere, quæ ſemper viſa eſt & homo & Deus, nunquam permittit ſuos opprobriis affligi, niſi in tenebris aliquis protectionis ſuæ radius illuceſcat; & eo momento, quo eorum calamitas videtur eos aliis hominibus mancipare, ex aliquo charactere Dei filii eſſe intelliguntur. Hoc accidit S. N. in perſecutionibus, quæ exarſerunt in illum. Nam ſimulac infernus in illum contumelias evomebat, Cælum pro eodem palam locutum eſt; eumque Deus juſtum eſſe evulgavit plurimorum mortalium, ac miraculorum, quorum ipſe inſtrumentum fuit, voce. Quod videbatur labem allaturum innocentiæ ipſius, fecit, ut in dies magis ſanctitas ejus inclareſceret; tantumque gloriæ percepit ex iiſdem rebus, quæ ad illum dedecore afficiendum fuerunt adhibitæ: licet non habuiſſet, quem habebat Spiritum, ac ſenſum J. Chriſti, non deeſſet illi cauſſa diligendi inimicos ſuos, & deprecandi pro calumniantibus ſe. *Ex vita Cardinalis de Berulle libro primo.*

Quomodo Sanctus hic vir fidem conſtanter defenderit, licet magna illi impenderent pericula.

Procul dubio admirabimini, ſi vobis in mentem revocavero firmitatem, atque conſtantiam, cum qua S. N. propugnavit fidei veritatem: theſaurus pretioſior eſt, cum de latronum faucibus illum furari cupientium eripitur; & cum multi labores exhauriendi fuerunt, ut propulſarentur vires ab infeſtiſſimis hoſtibus illatæ. Quot non ſtetit laboribus Sancto huic, ſumma cum fide tueri pretioſum fidei depoſitum adverſus inimicorum ſuorum impotentiam? Quot ille pertulit injurias, minas, atroces calumnias, exſilia, perſecutiones, cruciatus, tormenta? Eccleſiaſtica hiſtoria nobis ſuppeditat alia infinita ſtrenuorum ſanctorum exempla, qui non laboribus, neque vigiliis pepercerunt; immo neque ipſi vitæ, ut injuſtis inimicorum fidei conatibus adverſarentur. Sanctus hic vir, non ſecus ac Apoſtoli quibus ſucceſſerat, cogitabat ſe a J. Chriſto eſſe miſſum ut noſtrorum myſteriorum veritatem aſſereret. Illi perſuaſum erat eum, *cui data eſt omnis poteſtas in cælo, atque in terra* ipſis dicturum: *Euntes docete omnes gentes.* Hoc illius animum inflammabat; hoc effecit ut ne graviſſimis quidem periculis deterreretur: ſed econtra crederet ſe tunc magis teneri, ut veritatem defenderet, cum impotentius impugnaretur. *Lambert in anno Evangelico Tom. 6.*

Sanctus hic vir ſeſe diſponebat ut omnia ſubiret genera perſecutionum.

Sanctus hic ſemper paratus erat, ut omnia perſecutionum genera propter J. Chriſti amorem perferret, ideoque jugiter ſecum ipſe reputabat ea verba, quæ dixit Jeſus Apoſtolis ſuis ut eos diſponeret ſimulque excitaret ad perferendos cruciatus, ad tuendam fidem. Ita illos hortabatur. Omnes poteſtates, dicebat illis inferni, ac terræ in vos inſurgent; conſanguinei, amici, convices, omnia inſurgent in vos: vos habebimini tanquam id, quod in mundo abjectiſſimum, ac deterrimum eſt, donec mundus gaudebit, vos mœrore afficiemini. Non diſſimulo vobis, filii optatiſſimi, quæ veſtra portio ſit in terris futura: haud æquior vobis erit conditio, quam mihi fuerit Patri veſtro: Neque melius excipiemini, quam ipſe fuerim exceptus: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* (*Jo.* 16.) Dies veſtros inter ærumnas ducetis, anima veſtra erit in amaritudine, donec mundus gaudebit, donec mundi ſectatoribus dies omnes ſereni erunt, ac feſti. Sed lætamini: non diu hæc ſcena producetur; triſtitia veſtra quam primum converteretur in gaudium, ſicut gaudium eorum brevi in triſtitiam mutabitur; cum hoc tamen diſcrimine, quod pro aliquot diebus lacrimarum tot interioribus ſolatiis delinitis, gaudium eſtis habituri, quod *nemo tollet a vobis.* Æterna felicitate perfruemini, quæ illico vobis inferet oblivionem malorum, quæ tot vitæ ſpatio paſſi fueritis propter me; & e contra mundi ſectatores pro aliquot horis voluptatum, quæ tot amaritudinibus cumulatæ fuerunt, quandiu

diu paſſuri ſunt infinitam ploratuum, acerbiſſimorum dolorum, ſuppliciorum ac rabiei æternitatem! Conſolamini: triſtitia veſtra non diu duratura eſt, eamque omnibus numeris abſolutiſſimum gaudium excipiet. Quonam evaſerunt Apoſtolorum perſecutores, ſcitus quidam quærit Interpres? tempus eorum potentiæ, & lætitiæ abiit, tempus vero ſuppliciorum nunquam finem eſt habiturum. Plura exceſſerunt ſæcula, cum Apoſtoli aliquot poſt vitæ patientis annos migrarunt in ſinum perfectiſſimæ felicitatis; & poſt infinitum annorum numerum hæc beatitudo erit adhuc recens, guſtus recens, felicitas recens, illecebra recens. Donec ſuperbi illi, & crudeles perſecutores diſcipulorum J. C., Apoſtolorum, facti opprobrium, & horror hominum, & Angelorum torquentur exquiſitiſſimis ſuppliciis, uruntur flammis, quin vel minimum valeant ſperare ſolatium. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Conſolatio Confeſſoris in carcere & vinculis poſiti.

Scio, Tertullianus ait, obſcurum eſſe carcerem; ſed vos glorioſi Confeſſores aſpectu veſtro tenebras illius diſſipatis; eſtis enim luminaria fulgentia. *Habet tenebras carcer, ſed lumen eſtis ipſi.* Fateor compedibus eſtis onerati, & pedum, manuumque uſum amiſiſtis: ſed liberi eſtis in Domino, quoniam eſtis illius filii, & carcer vobis via eſt, quæ ducens in cælum, vos ad hereditatem veſtram perducit: *habet vincula, ſed vos ſoluti eſtis Deo.* Fateor, male olet: & ex ea cloaca, nonniſi teterrima mephitis exhalat; ſed vos J. Chriſti bonus odor eſtis, & vitæ veſtræ puritas oſtendit Sanctitatem legum illius, & animæ veſtræ innocentiam: *Triſte illic expirat, ſed vos odor eſtis ſuavitatis.* Fateor denique vos ibi præſtolari judicium hominum, vel aliquando affici metu tormentorum, & mortis, ac expaveſcere, ne carnificum ſævitia de fortitudine veſtra triumphet. Sed vos judices eſtis veſtrorum judicum; damnabitis eos, a quibus damnati fueritis, & ſedebitis ſuper ſedes cum filio Dei proferentes ſententiam in eos, qui in vos mortis ſententiam protulerint: *Judex expectatur de judicibus, ſed vos eſtis de judicibus ipſis judicaturi.* *Patris Senault in Panegyrico Sancti Clementis Tom. 3.*

Ejuſdem Argumenti.

Ita ſane, glorioſi teſtes fidei guſtatis in tenebricoſis illis carceribus pacem conſcientiæ puræ, & ſine macula; cum vobis perſuaſum ſit locos omnes nullo eſſe debere in diſcrimine Chriſtiano viro; nam in quacumque mundi plaga verſetur, cum mundo fecit divortium. Suave initis commercium, non equidem dicam cum Angelis, ſed cum ipſo Angelorum Domino. Ibi procul a corrupti ſæculi illuſionibus libere colloquimini cum Patre miſericordiarum, qui ſuſtinet vos conſolationibus ſuis, qui replet vos Spiritu ſuo, qui vos gratia ſua confirmat, gratia victrici, qua ſuffulti de carnis infirmitate, deque tormentorum formidine triumphatis. Dei veſtri beneficio in carceribus veſtris eaſdem invenitis illecebras, quas olim Prophetæ ſancti inveniebant. *Hoc præſtat*, Tertullianus ait, *Chriſtiano, quod eremus Prophetis. Idem.*

Nihil glorioſius fuit Apoſtolis, & martyribus quam pro Jeſu C. pati.

Nemini glorioſius fuit pati, quam Apoſtolis, atque Martyribus. Cur? Quia ſuſtinuerunt J. C. cauſſam. Ipſum hoc nomen Salvatoris illis mortalium odium conflabat. Inimici J. Chriſti, illorum inimici fuerunt. Nonne *præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto?* dicebant perſecutores. Sed Apoſtoli contemnentes ſacrilegum hoc edictum, animoſe reſpondebant illis: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Hac de cauſſa erant in odio hominibus, flagellis cædebantur, de civitatibus ejiciebantur, & tanquam hoſtes publici habebantur. Apoſtoli J. C. nomen confitebantur, tunc etiam cum in carnificum manibus efflabant animam. Igitur beati ſunt, & mortalium omnium beatiſſimi; quia nemo fuit, de quo verius prædicari poſſit, hunc pro Jeſu Chriſti nomine paſſum fuiſſe. *Annus Evangelicus Tom. 7.*

Qui patiūtur Dei gloria, & Eccleſiæ, beati vocari poſſunt.

Illi beati ſunt, qui patiuntur pro tuenda veritate, pro Eccleſiæ gloria, pro diſciplinæ ejuſdem obſervantia, pro recti ordinis incolumitate, pro excitatione Spiritus veteris Chriſtianiſmi, pro ſanctarum Legum obſervantia, quam Antiqui Patres tanta cum Sapientia inſtituerunt, & cum vitæ ſuæ periculo ſuſtinuerunt. Illi beatiſſimi ſunt, qui cum poſſent perſecutionem evitare & mulcere furorem inimicorum, prætulerunt honeſtas tribulationes funeſtæ quieti, quæ ipſi ſtaret innocentiæ jactura, & illos in Dei odium adduceret. *Idem.*

Illi ſunt beati qui ſine murmure ſuſtinent omnes injuſtitias quas illis inferūt homines.

Illi ſunt beatiſſimi, qui cum licet innoxii exagitentur perſecutionibus, ſolidas quærunt conſolationes, quas Deus ſemper fidelibus ſervis miniſtrat. Nullo habent in diſcrimine mortalium judicia; ſufficit illis, ſi ſcrutetur Deus cordis ipſorum ſecreta. Licet ab omnibus hominibus ſontes habeantur, lætantur ex quo teſtimonium habent conſcientiæ ſuæ, & merito ſibi perſuadere poſſunt, ſe apud Deum omni culpa vacare. Illi etiam beatiſſimi, qui licet oppreſſi pondere injuſtæ ac tyrannicæ auctoritatis, licet exuti bonis ſuis, licet exagitati per irreconciliabilem nequitiam a potentibus inimicis, quibus reſiſtere nequeunt, licet præſto ſint in cauſſa juſtiſſima vinci, neque enim ſe defendere poſſunt deficientibus probationibus, pecunia, & exiſtimatione, nomen Domini Jeſu Chriſti benedicunt, ſecum conſolantur, quærunt in ſemet, & in propriis iniquitatibus fontem ſuæ calamitatis; cum humilitate ac timore Dei adorant conſilia, fatentes illa ſemper eſſe juſtiſſima, ac ſemper favorabilia illis, qui ſeſe cum iiſdem volunt conformare. *Idem.*

Beatus eſt qui patitur aliquid pro nomine Salvatoris.

Princeps Apoſtolorum hac utitur cogitatione tanquam omnium validiſſima, ut nos impellat ad æquo animo perferendum propter Jeſum Chriſtum: *Si exprobramini in nomine Chriſti*, dicebat ille primis fidelibus, *beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit.* (*1. Petr.* 4.) Quam beati eſtis, ſi quid pro Salvatoris nomine ſuſtinetis! Nam quidquid veri honoris eſt, quidquid ſolidæ gloriæ eſſe poteſt in terris, quidquid gratiæ conferre poteſt Spiritus Sanctus, depluit, ut ita dicam, in vos. Sed ſi ſuſtineretis tanquam noxii, pœnam luentes ſcelerum veſtrorum, vos quidem, pergit, lacrimis proſequerer, ac ſupplicium veſtrum turpe putarem. *Nemo veſtrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut alienorum appetitor.* (*Ibid.*) Sed ſi ideo patimini, ut ſiti Chriſtiani, vel quod non abludit, ac fere idem eſt, ſi patimini, ut pati debet Chriſtianus, propter juſtitiam: Heu, vos minime pudeat. *Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat.* Quare? *Quoniam tempus eſt, ut incipiat judicium a domo Dei.* Hoc enim tempus eſt, quo incipere debet in vobis judicium Dei: videlicet ex interpretum ſententia: judicium, quo vos approbat; judicium prælationis, quo vos ab aliis diſtinguit per hoc ſui erga vos amoris argumentum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ut participes ſiamus gaudii filii Dei prius participes fieri debemus paſſionum illius.

Hoc in ſenſu exclamare poſſem cum Principe Apoſtolorum: *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete.* Heu! vos qui participes eſtis paſſionum filii Dei, lætamini, ac agite cum illo triumphum. Nunquid honori veſtro, ac nomini labes offunditur? Quo major illis inuritur contumelia, eo magis ſimiles eſtis illi, qui voluit opprobriis ſaturari, ut inquit Propheta, *ſaturabitur opprobriis.* (*Thren.* 3.) Nunquid bonorum jacturam ſuſtinetis? *Gaudete.* Quo majus detrimentum paſſi fueritis, eo magis illum imitabimini, cui non erat, ubi caput ſuum reclinaret. Nunquid morbis, aut corporis doloribus affligamini? Quo magis acuti ſunt, eo majorem habetis ſimilitudinem cum viro dolorum: hoc enim eſt imitari illum, qui ideo ſe nobis ſimilem præbuit, ut nos ſibi ſimiles faceret, & hoc pacto faceret nos dignos amore Patris ſui, qui nihil probat, nihil æſtimat, nihil amat, niſi quod habet aliquam cum dilecto filio ſuo ſimilitudinem: *Quos ſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui. Idem.*

Honor eſt aliquid pati ut J. C. ſimiles ſiamus.

Ita eſt, Auditores; vos qui propter Deum ſuſtinetis, ne conſideretis amplius paſſiones tanquam criminum veſtrorum ſupplicium, neque tanquam viam, quæ ducit in Cælum, neque tanquam certiſſimum veſtræ prædeſtinationis adminiculum: cogitate ſolum, quamvis omnium mortalium integerrimi eſſetis, in nominis veſtri gloriam ceſſurum pati, ut ſimilis evadatis Regi veſtro, prototypo veſtro, Capiti veſtro. Si hic Dei filius poſtquam ebibit illum amaritudinis calicem in Cruce, vobis manu propria ejuſdem reliquias potandas offerret, num vobis animus eſſet eas recuſandi? Si poſtquam crucifixus fuit, imprimeret in pedibus, manibuſque tuis Paſſionis ſuæ ſtigmata, nonne te ſummo honore affectum putares? Nonne illa reciperes tanquam pignora amoris ſui? Hoc tamen uſuvenit tibi, quotieſcumque aliquid pro ipſo ſuſtines; & ſi id æquo, alacrique animo ſuſtines, hæ totidem ſunt paſſionis ejuſdem particulæ. Verbum hoc aculeatum, quo illuditur pietas tua, ſpina eſt de corona illius, injuſta illa perſecutio clavus eſt, qui te cruci ejuſdem affigit: dolor iſte cuſpis eſt lanceæ, quæ cor illius tranſverberavit; & cum patienter ſuſtines, dicere potes cum Apoſtolo; *Chriſto confixus ſum cruci.* (*Ad Galat.* 2.) Cruci confixus ſum una cum Salvatore meo, Domino meo, & Deo meo: Cumque ille per hæc teſtetur exceſſum ſui amoris in nos, ajo, nos viciſſim melius non poſſe amorem teſtari noſtrum erga illum, niſi patientes pro illo, & æquo animo, & Chriſtiana ſubmiſſione recipientes perſecutiones, quibus affligimur, pro gloria ipſius, quam tuemur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Nemo majorem Deo amorē, vel fidelitatem teſtatur, quam qui pro ejus gloria patitur.

Difficile non eſt alteram hanc veritatem probare vobis; nemo enim majorem generoſitatem, integritatem, fidelitatem teſtari poteſt Deo, quam qui propter amorem illius patitur. Hæ ſunt præcipuæ conditiones, quæ magnum, perfectumque amorem oſtendunt erga Deum, cum æquo animo excipimus omnes ærumnas, quæ nobis ingruunt ipſo annuente. Dixi primum in perſecutionibus, quas patimur propter amorem illius, poſſe nos melius, quam in aliis quibuslibet occaſionibus ſignificare magnitudinem, atque præſtantiam amoris noſtri. Si enim generatim proprium amoris eſt, immittere fortitudinem, & generoſitatem; quotidiana quippe docemur experientia nihil inauſum, atque intentatum relinqui pro illis, qui efflictim amantur; ubinam fortitudo Chriſtiani melius eniteſcere poteſt? ubinam amoris erga Deum magnitudo cognoſci poteſt, niſi in hoc genere paſſionum? Tandem enim quis ignorat, verum fortitudinis, & generoſitatis objectum eſſe adverſitates, perſecutiones, & omnia, ubi plurimum ferendum eſt? & contra id genus inimicos vim, ac virtutem eſſe adhibendam, nam in iis maxime animus eluceſcit? Hoc enim apud Ethnicos conſtituit Heroes, & adhuc in Chriſtiana Religione ſummos viros conſtituit. Cetera pro communi virtute poſſunt haberi; ſed patienter pro Dei gloria ferre, hoc magnum aliquid eſt, aliquid non commune, aut vulgare: in hoc gratia triumphat: in hoc virtus elucet; hoc denique, ut Sanctus Paulus ait, Angelorum, hominumque meretur admirationem. *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus.* (*1. ad Cor.* 4.) Hinc S. Chryſoſtomus infert; pati propter Deum aliquid eſſe majus, & admirabilius, quam patrare miracula, quæ ſus, deque omnes naturæ leges ſubverterent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Pati pro Dei gloria argumentū eſt amoris minime cupiendi.

Paucæ ſunt id genus animæ generoſæ, quæ unice propter Deum virtute ſint præditæ, cum honor, vel alia quælibet utilitas virtutem ſubſequitur, atque illi theatro eſt, non deſunt eidem illecebræ, propter quas ſectatores habet, ſed ubi his ornatibus caret, ac Deo, ut ita dicam, ſumptibus noſtris ſerviendum eſt, tunc palam fit, unum illum amari, id agi unum, ut placeamus ei, & nobis non niſi divinas proponi cauſsas, ſupra ſenſus ipſos, ac rationem poſitas. Quis enim non amaret nobis blandientem Deum, nos bonis, & proſpero rerum curſu cumulantem? Quinam hoc pretio illi non obſequeretur? Profecto credendi locus eſt amorem hunc mercenarium eſse, & legis antiquæ proprium, ubi Deus non niſi de terrenis benedictionibus loquebatur, ut homines ad ſui cultum pertraheret. Sed amare Deum nobis exhibentes cruces in præmium ſervitutis, quam illi præſtamus, mecum fatebimini hunc eſse amorem integerrimum, ac perfectiſſimum, quem eidem teſtari valeamus. *Idem.*

Gloriari debemus ob eas perſecutiones quas in præſenti vita ſuſtinemus.

Hinc fit, ex Apoſtoli ſententia, tribulationes, quas propter Deum ſuſtinemus, unum eſse illud, de quo gloriari liceat in vita hac tanquam de argumento amoris integerrimi, ac ſinceriſſimi. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, (2. *Cor.* 12.) ait ille. Quid autem? Non ne chriſtianæ humilitati adverſatur, oſtentare labores ſuos, & perſecutiones, tanquam præclariſſimum vitæ ſuæ locum, quod hic facit Apoſtolos? Nequaquam, quia gloria, quam ex omnibus rebus aliis aucupamur, inanis eſt, & commentitia, ſed quam ex noſtris paſſionibus propter Dei cauſsam excipimus, juſta eſt, ſolida, & vera: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini*. (*Ad Gal.* 5.) Ideo prolixam texit enumerationem ærumnarum, & perſecutionum ſuarum; ideo narrat itinera ſua, vincula, carceres, naufragia: ideo ait ſe flagellis cæſum, lapidibus obrutum, de tribunali raptum ad tribunal: ideo tandem oſtendit ſigna, & cicatrices vulnerum ſuorum, totidem veluti honoris titulos. *Stigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*. (*Ib.*) Undenam, quæſo, Apoſtolus adeo humilis, & cum de ſe loquitur adeo verecundus, homo timens, ne poſtquam Mundum univerſum converterit, ipſe reprobetur, qui arbitratur ſe primum eſse, & maximum peccatorum omnium, undenam, inquam, Apoſtolus hic jactat ſuas tribulationes, quas pro Deo paſsus eſt tanquam totidem victorias, atque trophæa? *Quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor*. (1. *Cor.* 11.) Quia iterum dicam, hæc unica ea res eſt de qua licet gloriari, quia hoc unum vere glorioſum eſt, & perfectam ab omni cupiditate integritatem ſignificat. Hinc ſequitur, ſicuti licet palam profiteri, ſe diligere Deum, & fas eſt præbere ſigna, & documenta hujus amoris, & fieri nequaquam poteſt, ut prohibeamus, quominus magnus hic amor erumpat, ſi verus eſt; conſequenter licere producere amoris hujus teſtimonia, ea videlicet quæ paſſi ſumus pro gloria ejuſdem tuenda, & quæ meridiana luce clarius oſtendunt amorem illum nihil ſimulationis habere, integerrimum eſse, atque ardentiſſimum: *Libenter gloriabor: mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini*. Vanitas quæ omnibus bonis inhæret operibus, & quæ ſimilis eſt vermi eorum fructum corrumpenti, parcere videtur tribulationibus, quas propter Deum patimur: quoniam proprius earum effectus eſt nos coram Deo dejicere, ſub manu juſtitiæ ipſius humiliare, & quia ipſa etiam confuſio, & humiliatio numerantur inter afflictiones, quas nobis immittit Deus eo conſilio, ut diſrumpatur hic tumor cordis, qui in rebus proſperis nos attollit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Amor, quē teſtamur Deo in iis, quæ propter illius amorē patimur non ſolum integrior eſt, ſeu fidelior, & conſtātior.

Si in iis, quæ propter Deum patimur, amor, quem illi teſtamur, generoſior eſt, & integrior, dico etiam eſſe fideliorem, atque conſtantiorem, & ex hac potiſſimum fidelitate verum amorem cognoſci. Ita ut cum paſſim dicatur, in adverſis, & infortuniis periculum fieri de amicorum noſtrorum fidelitate: prorſus e contra per fidelitatem teſtamur in paſſionibus illum a nobis vere diligi; & donec hoc tentationis genere probati fuerimus, nobis eſſe metuendum, ne aliqua incidat de amore noſtro ſuſpicio. Tantum enim in mundo ſimulationis eſt, hypocriſis, diſſimulationis, ut ſæpe noſmetipſos fallamus, antequam alios decipiamus. Et ſi videtur Deus experiri velle Sanctos ſuos, & ſibi amiciſſimos per paſſiones, ut liqueat utrum fides eorum ſit ſincera; quamvis ille renes ſcrutatur, & corda: poſſumus ne ipſi certi eſſe noſtræ fidelitatis, cum nondum hac in re tentati fuerimus? Ex quo S. Jacobus Apoſtolus nos docuit, patientiam conſtituere Chriſtiani viri perfectionem, quæ ſi deſit, nihil eſſe patet, in quo ſolidum haberi poſſit fundamentum. *Patientia opus perfectum habet*. (*Jacobi* 1.) *Idem.*

Gloria, quā perſecutiones procurant viris bonis, qui inſontes propter juſtitiam patiuntur.

Nihil addere poſſum incomparabili huic felicitati patiendi propter Deum, niſi quod injuſta perſecutio gloriam aliquam procurat viris bonis, qui innocentes propter juſtitiam patiuntur; quin illis aperit viam veram ad gloriam. Hinc Deus nequaquam permittit, ut eorum vita ſemper ſit tranquilla, & beata ſecundum mundum. Providentia mihi videtur peculiarem curam gerere illis ſuppeditandi occaſiones patiendi propter ipſum, in ærumnis, & adverſis, quæ illis ſuſcitat in optimis quoque conſiliis: modo invidia illos aggreditur, & in illos publicum odium concitatur; modo eorum inimici apertum illis bellum indicunt, & modo ipſe Deus non ſinit illos frui nimis diuturna tranquillitate, qua permanentes virtus eorum majori verſaretur in periculo naufragii faciendi quam procella ſæviente. Sed ſpes ſaltem perfruendi immutabili requie in vita altera, efficere debet, ut omnes hæ perſecutiones ab illis habeantur tanquam favores, & beneficia, tanquam peculiaris Providentiæ circa ipſos cura, & tanquam pignora felicitatis. Tandem enim mors, quæ finem factura eſt omnibus eorum ærumnis, adducet eos ad ſedem quietis, atque æternæ beatitudinis. Ita ſub hoc aſpectu perſecutiones inimicorum infenſiſſimorum, graviſſima fortunæ mala, atque inopinatæ calamitates non movebunt hominem ſperantem in Deo, & ſe beatum ducet, eo quod patitur propter juſtitiam. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Perſecutiones quæ nos ad mortem adducunt ſunt acceptiſſimæ Deo.

Verum eſt, Chriſti fideles, cum minime penes vos ſit vitæ veſtræ dominium, neque poſſe nos illam Deo ſacrificare, non ſecus ac aliorum hominum vitam, in quam nullum nobis jus eſt; ſed cum eam nobis eripere ſtudet perſecutionibus, idque æquo, magnoque animo patimur, ut Deo noſtram teſtemur fidelitatem, vel ut proprio cruore ſignemus noſtræ Religionis veritatem; hæc noſtra acceptatio verum eſt ſacrificium, maximum, ſanctiſſimum, & acceptiſſimum, quod illi offerre valeamus, ideoque etiam glorioſiſſimum; quoniam hoc teſtimonium eſt probatiſſimum, quod perhibere valeamus, magnitudini eſſentiæ ipſius, ſupremoque, quod in nos tenet, imperio. Hoc autem illud eſt teſtimonium, quod omnes Chriſtiani perhibent Incarnato Verbo, cum patiuntur non mortem quidem, ſed perſecutiones adeo crudeles, ut langueant, neque ultra aliud ſperent ſubſidium, quam Cæli gloriam. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Hinc docemur, Auditores, nos nunquam majorem Dei Filio gloriam conferre, quam cum aliquid patimur propter amorem illius; & ſicuti maximum ſacrificiorum omnium, quæ illi offerre valeamus, illud eſt vitæ per generoſum Martyrium; illud quod majorem cum eo ſimilitudinem habet, & quod ideo glorioſius eſt, eſt ſuſtinere aliquam perſecutionem pro ejuſdem gloria tuenda. Nobis non licet nobiſmet mortem conſciſcere; hoc eſſet horribile crimen; ſed heroicum eſt mori propter juſtitiam, & æquo animo parcere injuſte nobis vitam eripienti. Similiter pati, ut bona noſtra auferantur nobis, & ea quæ nobis antiquiora ſunt, eripiantur, id mea quidem ſententia aliquid majus eſt, quod continet ſimul meritum patientiæ, avulſi animi a terrenis rebus, & ſubmiſſionis imperio Providentiæ, & quod exæquat, vel ſuperat rectum uſum, quem facere poſſemus ejus boni, quod fuit nobis ereptum. Itaque, eſto quidem, honor, & exiſtimatio, ex Sapientis conſilio, ſit nobis theſauribus omnibus utilior; tamen ſi calumnia, & invidia nobis hunc rapit honorem, ut fidelius noſtra munera obeamus; hæc, fateor enim, moleſta eſt perſecutio, ac tentatio complurium habita ratione ſatis delicata: ſed magnum hoc eſt Sacrificium Deo, cum pro illius cultu contemnuntur hominum judicia, & flocci fit æſtimatio illa, qua apud homines fruimur, ne illam, in qua apud Deum ſumus, amittamus: ita ut licet omnia id genus infortunia nobis accidant invitis, patientia, quam in his perſecutionibus teſtamur, ſæpe cedat in majorem Dei gloriam, quam inſignia ea facta, quæ propter zelum aggrederemur. *Idem.*

Utile eſt perſecutiones pati præſertim propter juſtitiam.

Fructus, quem ex his omnibus percipere debemus, eſt patienter ferre perſecutiones undecumque proficiſcantur; præſertim vero cum patimur propter juſtitiam, & innocentes ſumus eorum criminum, quæ nobis accepta referuntur. Vobis oſtendi hoc pacto Deum præbere nobis inſignia ſui erga nos amoris argumenta, & apertius noſtræ prædeſtinationis indicium; atque ut verbo omnia complectar, hic fons eſt æternæ beatitudinis noſtræ. Quapropter una cum Dei ipſius Filio exclamo: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Dei. Beati, qui perſecutionem patiuntur!* (*Matth.* 5.) Beati, quibus ſors contigit inſigniendi virtutem ſuam, ac Deo ſuam oſtendendi fidelitatem! Hoc intuitu Apoſtoli, ac Diſcipuli præ gaudio exultabant, & ſecum præclare agi exiſtimabant, cum in primis perſecutionibus Religionis Chriſtianæ rapiebantur ad Tribunalia, & contumeliis afficiebantur eo quod illam profeſſi erant, & annuntiaverant populis; *Ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. (*Act.* 5.) Tanta beatitudo, honor adeo inſignis, ut Apoſtolorum Princeps aſſerere non dubitaverit, quidquid in mundo eſt ampliſſimum, omnia honoris argumenta, quidquid magnificentius eſt, ac par ad aliquem apicem gloriæ attollendum, in eos redundare, qui ut Chriſtianos decet, patiuntur, qui videlicet patiuntur propter juſtitiam, & qui in odio ab omnibus habentur propter Jeſum Chriſtum. Hanc autem honorem, hanc utilitatem, hanc gloriam nanciſcimur in perſecutionibus, cum illis per nos nullam præbuimus occaſionem: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*. *Idem.*

Ex perſecutionibus quas pro Deo patimur gloriā percipientes, huic viciſſim gloriā procuramus.

Addendum eſt, quod ſi tantum gloriæ percipimus ex perſecutionibus pro Dei cauſſa exantlatis; nos viciſſim illi majorem gloriam conferre: hoc enim eſt teſtari, nos illius ſervituti penitus adhærere; & non odium hominum, neque metum illis diſplicendi, neque tandem quidquid in mundo eſt inſenſiſſimum, nos ab eodem poſſe divellere. Hoc in ſtatu Deus nos eſſe putat ſervos ſibi fideles, & pro illius gloria omnia ſubeuntes pericula, & audeo dicere tanquam Martyres juſtitiæ, quibus, poſtquam illorum virtutem hoc pacto probaverit, præparat coronas in Cælo. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Miſer ſtatus Confeſſorū redeuntium de exſilio, & de carceribus excitat fidelium Caritatem.

Cum ſedatur procella una cum Tyrannorum iracundia videntur Confeſſores egredi e carceribus, & de exſilio reverti eum in ſtatum, qui naturæ ipſi horrorem injicit. Quidam

rever-

revertuntur plagis confecti; alii claudi, ac debiles; videntur quidam mutili, qui in præliis dimidiatos artus reliquerunt: tunc fidelium caritas producit novos effectus zeli, & pietatis; præcedunt illi ipſorum triumpho honorem addituri; omnes certatim ſibi vindicant honorem hos domibus ſuis recipiendi; deoſculantur glorioſa illorum vulnera, illis ſingularem teſtantur reverentiam, in reliquum vitæ eorum ſpatium; & parum abeſt quo minus illis tanquam Sacerdotibus deferatur obſequium. Profecto qui ſe ſe per Martyrium immolavit Deo, ad Sacerdotii honorem propius accedit, & hac de cauſſa Eccleſiæ conſuetudo, & gloria eſt habere Martyres, & Confeſſores pro Sacerdotibus, & Epiſcopis. *Auctor Recens.*

Honores qui adhibebantur Sanctis Confeſſoribus.

Ubicumque Sancti Confeſſores inveniantur ſive in carceribus, ſive in inſulis deſertis, ſive ad metalla damnati, alii Chriſtiani nequaquam de illorum queruntur infortuniis, atque ærumnis, quas eos pati vident; e contra benedicunt eorum pœnis, incomparabilem illis teſtantur æſtimationem, lætantur cum illis videntes eos in gradu adeo excelſo, & optatiſſimo, & quin eorum invideant gloriæ, ſimilem ſibi concupiſcunt. *Idem.*

Idolorum cultores contra ſervos Jeſu Chriſti exercuerunt, hinc quidem carnificum ſævitiam, ignis ardores, exſilii faſtidia, tormentorum horrorem, paupertatis ſeveritatem; inde vero divitias, dignitates, promiſſiones, voluptates, quæ contra fidem non ſunt minus crudeles, quam novaculæ, laminæ ardentes; & omnia impietatis, & voluptatis eorum inſtrumenta Fideles in Ethnicos convertere non valuerunt. Chriſtiani autem e contra adverſus inimicos ſuos adhibuerunt ſolum patientiam, conſtantiam, & modeſtiam, & his virtutibus cum paſſionibus ipſorum conjunctis Idololatras in Chriſtianos immutaverunt. Sanctus hic Confeſſor, quem colimus, vicit patiens, & legem dixit Auctoribus ſuppliciorum ſuorum: Ethnici vero diutiſſime torquentes illum victi fuerunt, ac ſemet ſubjicere coacti fuerunt illi ipſi, quem ſe ad nihilum redegiſſe cogitabant. *Auctor Recens.*

PRO COMMUNI CONFESSORUM
PONTIFICUM, ALIORUMQUE PASTORUM.
M O N I T U M.

DEi Filius in nova lege ſatis non eſſe duxit Eccleſiam conſtituiſſe ex electo populo conflatam & ſe illius primum extitiſſe paſtorem, qui omnibus perfunctus eſt hujus dignitatis officiis, quemadmodum ſemet in Evangelio deſcripſit: Ego ſum Paſtor bonus &c. *ſed ille hanc præterea excolere voluit, eamque perennare per ſucceſſores Apoſtolorum, qui ſunt Epiſcopi, vicem eorum gerentes:* Poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. *His autem addendi ſunt, qui Epiſcopis ſubordinati eodem nomine Paſtores dicuntur: quemadmodum Curati, quibus concredita eſt provincia regendi, & erudiendi Fideles eorum curæ ſubjectos, qui eorum dicto pareant tanquam Oves Paſtoribus ſuis.*

Hoc autem in loco animadvertimus, ſicuti nullum munus eſt, quod majorem flagitet curam, vigilantiam, zelum, caritatem, majoreſque etiam labores, quam Paſtoris officium, nullum quoque eſſe, quod plures ſuppeditet occaſiones laborandi pro Dei gloria, & proximi ſalute, ideoque in quo amplius adquiri valeat meritum, & gloria pro Cælo; ex quo ſequitur rerum copiam deeſſe non poſſe Sancti Paſtoris elogium celebranti. Hunc enim titulum nequaquam illi contuliſſet Eccleſia, niſi omnia illius munera adimpleſſet ea ſedulitate, qua & ſeipſum, & populum ſuum ſanctificaret, licet in Sancti vita nullam Concionator inveniret actionum illius narrationem, & hæ laterent; Hic, inquam, titulus unus ſufficeret ad Panegyricum texendum; oſtendendo illum fideliter obiiſſe tantum, tantique momenti miniſterium, quod tot atque tam glorioſos labores efflagitat.

PRO COMMUNI CONFESSORUM PONTIFICUM, aliorumque Paſtorum.

Promittit Eccleſiæ Deus ſe daturum illi Paſtores ſecūdum cor ſuum.

NOn mediocris ex gratiis illis, quas Eccleſiæ ſuæ pollicitus eſt Deus, antequam illam inſtitueret, fuit, eidem Paſtores, juxta cor ipſius præficere: *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum*. (*Jer.* 3.) Hinc pendet ſalus populorum, juxta effatum illud: *Vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima eorum*. (*Judith* 8. 21.) Paſtores ſecundum conceptum, quem nobis aſtruit Scriptura, ſimiles quodammodo ſunt parturienti: hæc non ſibi tantum vivit, ſed fœtui, quem ventre geſtat; nec illa interire poteſt, quin fœtus intereat cum illa. Quamobrem Sanctus Petrus dicit Paſtoribus, quorum caput eſt: *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei*, (1. *Pet.* 5.) videlicet qui in ſinu veſtro eſt, qui videlicet ita pendet a vobis, ac ſi illum in ſinu veſtro geſtaretis. Ita certum eſt inferiores quodammodo vivere in illo, a quo reguntur propter influxum, quem membra recipiunt a capite. *P. Segneri de Curatorum officiis.*

Curati ſtatus majorē requirit perfectionē quam Religioſi.

Docent Curati ſtatum in ſe conſideratum majorem exigere ſanctitatem, ac perfectionem, quam ſtatus Regularis; quia alter quidem in *ſtatu perfectionis exercendæ*, alter vero in *ſtatu perfectionis adquirendæ*. (*Suar. de Eccl. Tom.* 3. *l.* 1. *c.* 17.) Religioſi tenentur laborare, ut perfectionem adquirant, hoc eſt, ut deſtruant obices hujus perfectionis, tria emittant vota Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ; ſed Paſtores ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ: namque offerre ſacrificia, ſacras Scripturas explicare, Sacramenta miniſtrare, privatis, publiciſque ſcandalis ſe objicere, pauperibus opitulari, afflictos conſolari, ac tandem pro ovibus ſuis vitam impendere, ſunt exercitia, quæ ſupponunt perfectionem non adquirendam, ſed adquiſitam, quæ neceſſaria eſt ad rite obeunda ea omnia, quæ in Curati ſtatu requiruntur; cum Regulares omnia id genus non exerceant miniſteria, propter ſtatum Religioſum tunc potiſſimum, cum nondum ſacris ordinibus initiati ſunt. *Idem.*

De ſubordinatione a J. C. inter Paſtores conſtituta.

Inter Paſtores voluit Jeſus Chriſtus aliquam adeſſe ſubordinationem, ut alii aliis invigilarent, & habere auctoritatem illos regendi, ac reformandi. *Attendite vobis, & univerſo gregi; in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam adquiſivit ſanguine ſuo*. (*Matth.* 16.) Inter ceteros unus eſt, omnium primus, qui dicitur Petrus, ſuper quem Eccleſia ædificata eſt. Hic ordo Paſtorum a J. C. conſtitutus in ſæcula vigebit. Hic ſervandus eſt quam diligentiſſime, & omnino neceſſarius eſt ad Eccleſiam tuendam. Hæc igitur auctoritas eſt recte inſtituta certiſſime a Deo ipſo profecta. Huic auctoritati qui reſiſtit, reſiſtit ipſi Deo. Veritas hæc ſerio eſt conſideranda, nihil enim hac validius eſt ad inferiores in obſequio, ac officio, quod ſuis debent ſuperioribus, continendos. Jeſus Chriſtus hoc palam ſignificavit, cum loquens ad Apoſtolos dixit: *Qui vos audit, me audit*, & qui vos ſpernit, me ſpernit. (*Act.* 20. 28.) *Qui autem ſpernit me, ſpernit eum, qui miſit me*. (*Luc.* 10. 16.) Ad hæc animadvertitur ne? Et ſi hæ veritates altius animis noſtris eſſent infixæ, nunquid reſiſtentiæ adeo frequentes eſſent, ac pertinaces, ut ſunt? *Sermones de vita Eccleſiaſtica Lambert Tom. II.*

De obediētia Paſtoribus debita.

Qui docilis eſt, qui agnovit characterem Dei alte impreſſum in fronte ſuperiorum ſuorum quomodo illis obedit, tanquam Jeſu Chriſto? Hæc ſunt verba Sancti Pauli. Superiorum auctoritas eſt a Deo. Hæc veritas eſt, quæ negari non poteſt. *Omnis anima*, Sanctus Paulus inquit, *poteſtatibus ſuperioribus ſubdita eſt: Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo*. (*Rom.* 13.) Si omnis poteſtas a Deo eſt, qui ſunt Doctores noſtri, qui invigilant animabus noſtris, tanquam earum rationem reddituri, potiori jure omnem a Deo poteſtatem acceperant. Igitur Dominus Auctor eſt ordinis adeo legitimi, qui inferiores ſuperioribus ſubjicit. Hic alios quidem poſuit Apoſtolos, (*Epheſ.* 4.) alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores, atque Doctores. Hinc veri ſervi Dei unum intuentur Jeſum Chriſtum, in illum oculos intendunt, illum confitentur, illius potentiam adorant, huic ſemet ſubjicere debere putant; & hæc ratio eſt celeris hujus obedientiæ, cui nihil reſiſtit; quoniam conſtat, hanc Deo adhiberi, & nunquam nimis celeriter eidem obedientiam præſtari. *Idem.*

Bonū exēplum quod debent fidelibus Paſtores.

Synodus Tridentina enumerans Epiſcoporum officia, ſingillatim memorat exemplum omnium bonorum operum, quod fidelibus debent: *Bonorum omnium exemplo oves paſcere*. Et ſtatim addit, quod de Epiſcopis dicitur ratione Diœceſum intelligendum eſſe de Parochis ratione parœciarum: *Eadem omnino de Curatis inferioribus Sacroſancta Synodus declarat, & decernit*. Quare? ut Curati intelligant, quemadmodum illi veri ſunt Paſtores, licet Ordinis Superioris, ita data ratione teneri iiſdem legibus perfectionis, quibus tenentur Epiſcopi. Hoc unum intereſt diſcrimen, quod Epiſcopus erga Curatos id facere tenetur, quod Curati erga ſubditos ſuos; ideoque majorem perfectionem requiri in Epiſcopo, quam in Curato. *P. Segneri in Curatorum officiis.*

Præcipuū Paſtoris officiū eſt Sacramentorū adminiſtratio.

Sacramentorum adminiſtratio continet præcipua Paſtoris officia, quibus alludere videbatur Jeſus Chriſtus dicens ter Sancto Petro: *Paſce oves meas*; (*S. Th.* 1. *Cor.* 9. *l.* 1.) & ſecundum tres hujuſmodi titulos, ut teſtatur Sanctus Thomas, Curati a grege ſuo exigere poſſunt victum ſuum, ac jura temporalia. Reliqua puncta ad hoc redigi poſſunt, in quo immoramur. Vidimus quænam eſſet temeritas per ſe peculiarem aliquem

quem